



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Ervditione Religiosorvm**

**Humbertus <de Romanis>**

**Ingolstadii, 1591**

**VD16 H 5888**

De gestu commendabili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](#)

bus  
rtus  
ita-  
icet  
nti-  
runt  
, &  
atus  
utiet  
pla-  
m in  
arti-  
mo  
erit  
ollis-  
ntia  
Te-  
in-  
ge-  
am,  
eris  
tus,  
du-  
er-  
t ad  
en-  
ili-  
, v-  
ex-  
ni-  
Iæc  
co-  
um  
tim

**suum Christum honorat. Ad diligentiam mo-** *Pro. 24.*  
**nemur. Diligenter exerce agrum tuum. Octa-**  
**uuus pertinet ad dissolutionem, quæ est nimia ti-**  
**miditas: de qua; Væ dissolutis corde, qui nō cre-** *Eccl. 2.*  
**dunt Deo, & ideo non protegentur ab eo.**

*De gestu commendabili.*

**S**equitur de gestu commendabili. quem Hugo de S. Victore notificat his verbis : Primum diligenter obseruandū est, vt singula membra suum teneant officium : nec usurpent alienum. Deinde vt vnumquodq; suum opus tam decenter ac modestè impleat, vt per indiscretiam oculos insipientium non offendat. Item discretio actionum in membris obseruanda est, vt scilicet id agat vnumquodq; membrorū, ad quod factum est, vt nec loquatur manus, nec os audiat, nec oculus linguae officiū assumat. Sunt quidam, qui nesciunt auscultare, nisi buccis parentibus. Alij loquentes digitum extendunt, supercilia erigunt, aut oculos rotates, aut profunda pōderatione defigentes, cuiusdā intrinsecus magnificentiae conatus ostendunt. Alij caput iacent, comam excutiunt, vestimenta adaptando componunt, & latera cubitando pedesq; extendo ridiculam satis ostentationis formā fingunt. Alij quasi ambæ aures ad audiendum factæ non sint, alteram tantùm collo detorto voci venienti opponunt. Alij nauigant brachiis incedentes : & duplii quodam monstro, uno & eodem tempore pedibus deorsum in terra ambulant : & lacertis sursum in aëre volant. Quid est, quæso, monstrum hoc, quod simul in se fingit

*In tract. de  
nouit. in-  
struend. c. 4.  
12. à med.*

singit hominis incessum , & nauis remigium , & auis volatum . Prima igitur custodia disciplina in gestu est , vt vnumquodque membrorum in eo officio , ad quod creatum est , se contineat : vt id quod facit , eo modo faciat , quo faciendū est : nec plus , nec minus , nec aliter . Et vt in paucis exemplificemus : Ridere debet sine apertione dentium , videre sine defixione oculorum , loqui sine extensione manuum , & extentione digitorum , incedere sine vētilatione brachiorum , & sine gesticulatione scapularum , sedere sine alterutra superiectione pedum : sine extensione vel agitatione tibiarum , & sine accubatione laterum .

*De disciplina in risu.*

CAP V T IIII.

**E**T notandum quod virum religiosum multum decet , vt disciplinam seruet in risu . Lib. 4. Cirt. Quis risus sit reprehensibilis , ostendit Seneca his verbis : Miscebis interdum seriis iocos , sed temperatos : & sine detrimento dignitatis & verrecundiae . Nam reprehensibilis risus est , si immodicus , si pueriliter effusus , si muliebriter fractus . Odibilem hominem facit risus aut superbus & elatus , aut malignus & furtivus , aut alienis malis euocatus . Idem : Risus fit sine cachinno . Luctus in hac valle lachrymarum debet esse frequens & multus : risus vero rarus & modicus . Ad hoc monemur ex exemplo Christi , de cuius luctu habetur in multis locis sacrae Scripturae : scilicet Lucæ 19. Iohan. 11. Hebreor. 5. De risu vero eius in hac vita presenti nusquam legimus .

Risus